



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An, & quando delegatus ab inferiore judice ordinario subdelegare
possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

clausula commissa sit, quod si ambo in-
teresse non possint, alter solus procedat, sed
per exceptionem repellere eum potest, &
solus procedere, prout sumitur ex *c. coram
dilecto 34. b. t.* cum clausula dicta velit,
solum hunc posse procedere, si alter per
se adesse nolit, ita etiam subdelegatus sub-
delegare non potest juxta *c. super quastio-
num 57. §. si vero h. t.* cum nullibi repeta-
tur in iure, et si subdelegato subdelegandi
concessa licentia.

§. IV.

*An, & quando delegatus ab infe-
riore iudice ordinario subdelegare
possit?*

Delegatus ab alio, quam à Principe
nullum superiorem agnoscente, sive
ab inferiore iudice ordinario, ab Episcopo
v. g. subdelegare, sive causam sibi
committam regulariter, & ordinariò al-
teri committere non potest, uti constat
ex *c. cum causam 62. de appellat.* (neque
etiam delegatus plus juris habet, quam
ipsi vel à lege, vel ab homine commis-
sum sit, nullibi autem legitur, hæc sub-
delegandi concessa illi potestas, & ab
homine tantum illi est concessa facultas
exercendi jurisdictionem, sub qua non
venit subdelegandi potestas) nisi ad
universitatem causarum delegatus sit
(qui quasi ordinariam jurisdictionem
habere censetur, & consequenter unam
vel alteram causam, vel causæ articulum
subdelegare potest. *l. 1. §. ab eo. ff. quis &
à quo appelletur junct. glos. v. non ipse, &
gloss. fin.*) vel nisi à iudice ordinario
hæc ipsi subdelegandi potestas, tacitè
vel explicitè ipsi concessa fuerit juxta gloss.
in *c. is cui 12. V. per alim. h. t. in 6.* (ut sic
enim delegatus non tam ex sua, quam

delegantis persona delegat, ad quem
etiam appellatio fieri debet, si quæ sit in-
terponenda) neque huic tam è etiam dele-
gato aut subdelegato cui una tantum cau-
sa dijudicanda concessa est, negari debet,
quòd non possit post cognitam causam,
& pronuntiatam sententiam, alteri exe-
cutionem sententiæ, sive nudum mi-
nisterium executionis committere, cum
taliter exequentem sententiam non tam
agat, ut iudex, cui jurisdictionis competit,
quam à delegato tali accipere non potuit,
sed agat præcisè, ut purus minister dele-
gati, aut subdelegati.

S E C T I O II.

De iis, quibus delegari potest.

§. I.

Qui possint esse iudices delegati?

Ordinariè & regulariter, qui iudices
esse delegati, & hinc communiter dicitur,
omnes esse posse iudices delegatos, qui nec
naturæ, ut surdi, muti, perpetuò furiosi,
impuberes &c. nec jure, ut infames &c.
nec consuetudine excluduntur, prout
excluduntur forinæ, servi &c. imò de
jure Canonico delegatus iudex esse
non potest, qui vigesimum ætatis annum
nondum implevit *c. qui vicissimum 41.
h. t.* nisi à Principe dispensetur, aut par-
tes consentiant in eum, qui saltem 18.
annum excesserit, nec potest esse, hoc
ipso jure prohibète in causis judicialibus
sedis Apostolicæ, aut Legatorum ejus de-
legatus, vel subdelegatus, nisi sit in ali-
qua dignitate ecclesiastica aut Personatus
constitutus, vel Canonicus ecclesiæ Ca-
thedralis.